

8. *Quicumq; est bonus Musicus, ille non est malus:*

*Petrus est bonus Musicus:*

*E. non est malus.*

Resp. est eadem fallacia. Diversa enim accidentia miscentur. Nam *alia bonitas est artis, alia vite & morum*: Et sic fieri potest, ut bonus artifex possit esse vir malus & contra. Neutrum enim sequitur: *iste est vir bonus & est Musicus. E. est bonus Musicus aut: iste est bonus Musicus & est vir. E. est bonus vir.*

Talia exempla etiam ad Elenchos extra dictionem referri possunt, ut ad Dictum ἀπλῶς καὶ κατὰ τι.

### Annotation.

Quæritur hîc, quid sentiendum sit de iis propositionibus, in quibus dictio aliqua cum diversis vocibus æqvè aptè jungi videtur. Ut in hac: *Quidam jussit testamento poni statuam auream hastam tenentem.* Quæritur an statua hastam tenens aurea esse debeat, an verò hasta esse aurea in statuâ, quæ statua sit alterius materiæ; deniq;